# SCRIPTUM

Parlamenti Reipublicæ

# ANGLIÆ

De iis quæ ab hac Repub. cum Poteſtatibus Fœderatarum Belgii Provinciarum Generalibus, & quibus progreſsibus acta ſunt; déque controverſiis in præſentia exortis, quibus prædictæ Poteſtates occaſionem præbuere.

Adjicitur & Reſponſum Parlamenti ad ternas chartulas à Dnis Legatis Poteſtatum generalium Extraordinariis, ex occaſione pugnæ navalis inter Anglorum & Belgarum claſſes conſertæ.

Unà cum illius pugnæ, ſicuti commiſſa eſt, narratione.

Poſtremò ſcripta illa in unum collata, quæ inter Parlamentum Reipub. Angliæ & Dnum Adrianum Pauw, Legatum Fœderatarum Belgii Provinciarum Extraordinarium, cum de pace agerent, ultro citróque reddita ſunt.

*LONDINI*,
Typis *Du-Gardianis*, Anno Domini 1652.

# SCRIPTUM Parlamenti Reipub. Angliæ, de iis quæ ab hac Repub. cum Poteſtatibus Fœderatarum Belgii Provinciarum Generalibus, & quibus progreſsibus acta ſunt; déque controverſiis impræſentia exortis, quibus prædictæ Poteſtates occaſionem præbuere.

SI quanta & quàm gravia Fœderatarum Belgii Provinciarum Populus ſub tyrannidis jugo, antequam divinâ ope liberaretur, paſſus ſit mala, & quibus rationibus adductus, quo ardore animi ad libertatem aſpiraverit, ſi denique quàm amica atque perpetuâ ope, ídque haud ſine multo ſanguine atque opibus Anglorum, ejus ſaluti impenſis, omni tempore ſublevatus ab hac gente atque adjutus ſit, in memoriam redigatur, credibile vix erit, pro tot acceptis beneficiis,

ficiis, quàm non amica huic Reipub. immo quàm non æqua reddiderit.

Non est consilium jam nostrum res hujus Reipub. quo loco tum essent, prolixè memorare, cùm tyrannico imperio oppressi, armis necessariò sumptis, vitam nostram atque fortunas defendere coacti sumus; dum jus nostrum natale & libertatem justissimam asserere in Parlamento, & stabilire conaremur, qua in asserenda ac stabilienda tot editis planè miraculis Deus, tot præliis insignibus, tàm continenti per omnem Angliam, Scotiam atque Hiberniam, divinæ suæ providentiæ ductu, contemptissimæ eorum paucitati adesse atque opitulari dignatus est, qui in illa causa tàm bona fidem suam atque constantiam comprobârunt.

Neque verò conatus ille serendæ inter nos discordiæ, quod anno illo memorabili 1648. accidit, omittendus est, neque magnus ille in nationem hanc apparatus belli anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo tacendus, qui eas gerendi res, quas in Scotia gessimus, necessitatem nobis attulit, quibus ob injurias priùs allatas satisfactio & futuræ pacis fides denegata est ab iis, qui judicatum hujus Reipub. Hostem ex Belgio venientem ad se receperant; ubi & perditissima illa in Anglorum gentem inita consilia erant; unde & hostes eorum permagna suis rebus subsidia & palàm & secretò, cùm Principis Arausionensis, tum aliorum authoritate & potentiâ consecuti sunt; eo ipso tempore, cùm Princeps ille, ejúsque fautores, ut verisimile est, consilia agitarent in illa Repub. tyrannidem occupandi, eâsque pro-

vincia

vincias in ſervitutem priſtinam redigendi; quod etiam quin perficerent haud multum abfuit, tum præſertim, cùm is urbem Amſterodamum repentino impetu adortus eſt, quæ res & illìc multò quàm apud nos magìs notæ ſunt, & ſcripti hujus propoſito alienæ.

Sed nec crudeliſſimi illius Amboyniani facinoris in Anglos perpetrati ullo modo grata recordatio eſt, ob quod facinus, atque alia haud longè diſſimilia, nulla ſatisfactio, quamvìs poſtulata ſæpiùs, data hactenus omnino eſt.

Verùm Populi Anglicani erga Belgii fœderati populum, tàm propenſa voluntas erat, tantum libertatis confirmandæ ſtudium, mutuíque commercii, viriúmque ex eo augendarum, religionis verò Proteſtantium orthodoxæ potiſſimùm prolatandæ, quam & utrique profitentur, quæque hac mutuâ amicitiâ, quantum humanitùs conjicere licet, maximè creviſſet, quoſdam etiam ex primoribus & populo earum Provinciarum uſque adeò erga hanc cauſam benè animatos eſſe animadvertimus, quod & ſua erga Pauperes in Hibernia Proteſtantes benignitate ampliter teſtati ſunt, ut quamprimum in Anglia rerum ſtatus firmitatis aliquid, Deo favente, habere videbatur, Parlamentum ad Ordines, Fœderatarum Provinciarum generales Oratorem mitteret, qui eum diſeris verbis admittere recuſârunt; quemadmodum & ipſi ſatìs nôrunt.

Rebus Anglorum majorem indies in modum omnipotentis Dei nutu proſperè cedentibus, cúmque idem eorum judicium, idem animus erga ſuos illos vicinos eſſet, Parlamentum denuo alium miſit,

ſuóque illic Oratori adjunxit, virum eo munere dignum, Dominum *Iſaacum Doriſlaum*, juriſprudentiæ Doctorem, qui eâ autoritate ac mandatis inſtructi erant, utì viderent, ſiqua honeſta ratio mutuam utriuſque Reipub. voluntatem inter ſe rectè intelligendi poſſit iniri. Verùm alter ex illis Oratoribus *Doriſlaus*, cùm ad hoc munus publicè obeundum Hagam veniſset, quo in oppido Poteſtates Generales ſuos ferè conventus peragere ſolent, eo in loco ſceleſtiſſimè atque palàm trucidatus eſt; de cujus nefaria cæde totus terrarum orbis proculdubio ità ſentiet, ut de piaculo quàm maximè deteſtando contra omnium gentium, immo ipſius humanitatis jura perpetrato omnes homines ſentire debent; in conquirendis autem & comprehendendis ejus interfectoribus, quàm nihil penè, & tùm maximè, cùm factum recens eſſet, & poſtea, actum ſit, quamvis hinc ſæpenumero poſtulatum, & ipſi haud neſciunt, & admoneri hìc debent.

Contrà, cùm Poteſtates illæ ſuos Legatos D D. Borele, Renzwo & Joachimum antehac in Angliam, recentium turbarum temporibus miſiſſent, nobíſque illi omnia officia ſua prolixè detuliſſent, compertum eſt, eos cum hoſtibus clam agere, eorúmque operâ hoſtes omnibus modis adjutos eſſe, contra eos ad quos ipſos amicorum ſpecie cum legatione venerant. Et hoc quidem, cum contumeliis inſuper quas in Parlamentum ipſum jacere non dubitabant, Legatorum illorum negotium erat; quas ob res utcunque ſe ex jure gentium reddendæ rationi obnoxios feciſſent, nullum tamen hinc viciſſim aut factum aut dictum aſperius retulerunt; duntaxat ad primores

eorum

eorum delatum eſt, quemadmodum ſe geſſerint, & ſatisfactio utì daretur, poſtulatum; verùm nulla hactenus impertitur.

Hæc cùm ità eſſent, poſtquam *DEO* viſum erat turbulentis Anglorum rebus finem imponere, hoſtéſque nullum totâ Angliâ præſidium tenerent, nullæ eorum copiæ reliquæ jam eſſent, ſed pacata ubique omnia & compoſita cernerentur, cùm res item in Hibernia ex ſententia procederent, ejúſque Inſulæ pleræque urbes atque oppida in poteſtate Parlamenti eſſent, cùm & in Scotia Anglorum res iiſdem propè ſucceſſibus non carerent, multóque minùs cauſſæ eſſet cur quiſquam à Parlamento ad poteſtates Fœderatarum Provinciarum Generales, petendi auxilii cauſſâ, proficiſceretur, quamvis & nos & vicinos noſtros ità aſpexiſſe potuerimus, ut aliæ quæque Reſpub. conſueverunt; eandem tamen ſententiam atque judicium retinuimus, utriuſque nempe Reipub. quàm arctiſſimam ſocietatem ad ſtabiliendas Proteſtantium rationes quibus hoſtes eorum tantopere inſidiantur, necnon ad commune bonum & libertatem permagnum eſſe momentum allaturam.

Parlamentum igitur ad Poteſtates Fœderatarum Provinciarum Generales legationem miſit ampliſſimam, legatos iis mandatis inſtructos, cáque poteſtate prædítos, ut priores controverſias componere, fœdúſque firmiſſimum atque arctiſſimum ferire conarentur, quatenus id quidem æquitati & rationi, hujuſque gentis dignitati conſentaneum eſſet, & cum utriuſque Reipub. communi bono conjunctum. Immo affirmare poſſumus, Legatos illos plena hinc manda-

ta

ta atque potestatem accepisse ea proponendi, eáque cum prædictis Potestatibus transigendi, quæ erga populum Fœderatarum Belgii Provinciarum eundem hujus Reipub. animum, eandem atque in suos benevolentiam declarâssent.

Quàm non sincerè, quàm non expeditè cum iis Legatis, de quibus missi erant rebus gravissimis ageretur, unde factum est, ut legatio illa nullius usûs reddita sit, quàm non incolumes, nequid gravius dicatur, in illo munere sanctissimo fuerint, quandiu in illis provinciis commorati sunt, quàm indigna in eos, ínque famulos eorum, ídque impunè, sint commissa; in quos denique sit hæc culpa meritò conferenda, plùs satìs manifestum est. Verùm cum hisce Potestatum prædictarum dilationibus, miniméq; propensis ad amicitiam animis factum esset, uti nullus ex illa Legatione fructus percipi potuerit, læsâ etiam, in Legatis suis contumelioſè acceptis, hujus Reipub. dignitate, suísque amicitiæ studiis pro nihilo habitis, Legati domum revocantur.

Ex his, quæ dicta sunt, intelligi potest, à parte hujus Reipub. quid actum fuerit ad firmissimum fœdus & amicitiam cum fœderatis Provinciis consequendam quámque honestis atque integris rationibus Parlamentum adipisci eam studuerit; cúmque eas interea difficultates in Scotia atque Hibernia exantlare pergeret, ad quas divina ipsa providentia vocare nos visa est, cúmque eadem benignissimi *DEI* manus, quæ perpetuò nos adjuverat, Hibernicas res in eum deduxisset locum, ut quod illìc gereretur, nihil penè reliquum fuerit, bellúmque Scoticum ità nobis fortunâsset,

nâsset, ut ea regio quodammodo relicta nobis esset, Scotorúmque exercitus, ductu Caroli Stuarti, nuperi Regis filii, in Angliam ingressus, Vigorniæ fusus fugatúsque esset, eorum plerisque captis aut interfectis præter ipsum ducem, aliósque perpaucos, qui ægrè ex eo prælio elapsi sunt; Tum demum, neque priùs unquam Potestates prædictæ Generales mittendam ad hanc Rempub. Legationem censuerunt, quæ à nobis eo studio ac voluntate accepta est, quæ testificari possit in eadem nos sententiâ atque judicio de illarum Provinciarum amicitiâ permansisse.

Dum procederent colloquia, cùm optimum nobis visum esset moras inutiles amputare, & certi aliquid habere quò res reditura esset, & postulatis quibusdam perspicuis instaremus, de iis etiam ad quæ facilè responderi potuerit, Legati semper ea declinare, deesse sibi potestatem causantes, quanquam inspecta eorum diplomata nihil iis deesse potestatis arguebant; tamen quò pleniora acciperent mandata, ad Primores suos scribendum sibi esse, quibus antequam rescribi posset, Provinciales Ordines esse convocandos, quæ quidem singula perexiguam nobis fidem faciebant, firmam aliquam pacem aut amicitiam eos ex animo voluisse.

Inter hæc etiam colloquia, cùm Legati eorum in disceptationibus suis primò quidem nullâ re aliâ, quàm ratione & æquitate niti velle præ se ferrent, Parlamentum certius fecere, Primoribus suis in animo esse centum & quinquaginta naves armare, præter illas ex classe suâ quæ foris tum erant, hócque eo consilio ab se fieri, ut & mare tutiùs navigaretur, utque

commercio Reíque Navali Fœderatarum Provinciarum conſuleretur, non utique ut Anglis ullo modo incommodarent.

Dixerintne hæc, ut Parlamentum ſuſpenſo animo tenerent, aut ut quid illi denuntiarent, Generales ipſæ Poteſtates optimè nôrunt, ſicut & cauſas tantæ Claſſis extra Ordinem parandi, cùm hoſtis eorum per hæc maria nullus appareret.

Ad hæc Parlamentum nihil reſpondebat, ſuæ tantummodo juſtæ defenſioni ſedato animo proſpiciebat, nè quis nos repentè adoriretur: Neque tamen ſententiam ullâ in parte mutavit, quod ad ea, quæ aut poſtulanda aut concedenda erant; cùm ad honeſti atque juſti normam, ad ſalutem etiam utriuſque Reipub. ſuúmque jus invicem utrique conſervandum conſilia ſua omnia direxerit, fœdúſque hoc in medio poſitum ad felicem exitum perducere etiam atque etiam cuperet. Neque ullâ in re, quantum intelligere potuit, deeſſet, quâ ſtudium ſuum teſtificari poſſet ejus fœderis perficiendi.

Interea Poteſtates fœderatarum Provinciarum illos navium apparatus maturare non deſinunt, locum, ubi omnes conveniant atque unam claſſem conficiant, edicunt; ſub eo præfecto, quem appellant Legatum Admirallum Trump. Quæ ejus conſilia aut mandata fuerint & ex eo quo ſe modo ipſe geſſit, & ex quibuſdam antea-factis abundè liquebit. Et ſpeciatim, cûm inter alias quædam eorum navis, quæ in navem quandam bellicam, cui præerat Capitaneus Young, inciderat, amicè admonita eſſet, ut honorem hujus nationis navibus præſidiariis tribui ſolitum exhiberet,

hiberet, quem & altera quâ simul navigabat, exhibuerat, idque pro more non solùm salutationis cujusdam honorificæ, sed quod etiam testimonio est, Anglorum jus atque Dominium in hæc maria vicina indubitatum esse. Quod & omnes vicinæ respub. atque Principes agnoscunt, & nominatim ipsæ illæ Potestates, earúmque majores agnoverunt, ut monumenta fide dignissima, aliáque argumenta quæ rejici non possunt, quæque ad id confirmandum jam diu invaluit, consuetudinem taceamus. Navis tamen illius Præfectus hoc facere recusabat, sibíque capitale hoc fore, si fecisset, affirmabat.

Has res subsequutum est facinus illud Admiralli *Trump*, cujus accurata narratio huc adjicitur, ex qua id hostiliter fuisse factum perspicietur contra vicinos atque socios amicitiâ ac fœdere conjunctos, qui id continuandi atque confirmandi sua studia toties, támque vehementer testati sunt, fuisse etiam hoc facinus fœdere velatum, & inter ipsa de arctiore adhuc fœdere colloquia à semetipsis oblata; tanta cum injustitiâ atque arrogantiâ conjunctum, ut quod jus nobis tàm indubitatum denegabat, id ipse usurparet, eámque adhuc injuriâ iterando, nè ipse quidem lacessitus, hujus Reipub. naves suis in fretis, littoribus, ac stationibus quærens, hostilem in modum ultro aggrederetur, bellíque initium faceret, virísque & navibus nostris perniciem moliretur, uti eos toto mari pelleret, hujúsque reipub. commercium, rémque omnem navalem subvertere conaretur, nisi *DEUS* propitius facinoris illius ignominiam ac detrimentum in ipsos injuriarum authores avertisset.

Poſt hanc tam diuturnam hujus Reipub. patientiam, acceptáſque injurias tàm graves, quibus noſtrorum animos irritari par erat, cùm eorum in mari ſucceſsus expectationi non reſponderent, viſum eſt Poteſtatibus prædictis Generalibus alterum adhuc Legatum Extraordinarium ad Parlamentum mittere; qui, quod & priores Legati ante ejus adventum enixè fecerant, & conſilia & authoritatem, & mandata Poteſtatum ſeſe mittentium hujus facti conſcientiâ prorſus eximere contendebat. Quod, quanquam apparatus illi tanti fuere, Claſsíſque eorum ab incœpto curſu divertebat, navéſque Parlamenti in ipſis ſuis ſtationibus quærebat, eáſque illi nullâ re laceſſiti ultrò oppugnabant, ut ſuprà demonſtratum eſt, tamen à Legatis *Caſus* vocatur, facinúſque illud fortuitò patratum fuiſſe, illúdque Primores ſuos nullo modo approbare aïebant, qui tamen facinoris illius authori munus illud ſuum Claſsis ducendæ prorogârunt.

Et de hoc quidem indigniſſimè facto cùm ſatis conſtaret, ſéque ipſum partim argueret, ipſo claſſis adventu, quæ Duce Trumpio ad claſsem noſtram in ipſis ſtationibus ex compoſito accedebat, partim multis teſtibus oculatis confirmaretur, non Anglis ſolùm, ſed etiam Belgis aliquot præfectis & Claſſiáriis & naucleris in ea pugna captis, qui idem prorſus teſtantur; Prolixa tamen quædam & perplexa quæſtionis habendæ ratio nobis proponitur, induciæ poſtulantur, utì armis & hoſtilitate omni abſtineatur, útque de illo vetere & complurium articulorum fœdere quod à prioribus Legatis tractari cœptum eſt, nova rurſus diſceptatio inſtitueretur, ſcilicet ut tem-

pori

poris acceſsio novam interim illis virium acceſsionem afferret.

Mandata hujus Legati cum inſpicere poſtularemus, Literas tantùm commendatitias ſive credentiales protulit, quaſdam etiam liberi commeatûs; quibus autem poteſtas agendi & tranſigendi cum Parlamento daretur, nullas: quam ille poteſtatem (quod caput rei erat) ut quaſi mutuam ſumeret, ad priores Legatos recurrebat, qui in mandatis habebant, ut de priore illo fœdere propoſito agerent atque tranſigerent, hanc etiam Legationem agnoſcebant, & quamvis illi generatim de ſocietate & amicitia utriuſque Reipub. jungenda veniſsent, veniſset autem Dnus Adrianus Pauw de ſingulari quodam facto, poſtquam illius fœderis tractatio initium & proceſſum aliquem habebat: Parlamenti tamen tam conſtans erat ſtudium novas haſce controverſias, ſi poſſet fieri, amicè componendi, ut cum Domino Adriano Pauw ad colloquium venire pergeret; omiſsâ in preſens omni diſputatione, quæ de poteſtate ejus non ſatis amplâ meritò naſci potuerat.

Cúmque nihil ſpeciatim ab illo Legato proponeretur, ſed tantùm quæ generalia ſuprà dicta ſunt, ídque etiam poſceret, ut Parlamentum ſua ei poſtulata proponeret, viſum eſt neutiquam inſtare quàm hoc nobis incommodum eſſet, ſed ſtatim déque ſatisfactione ob injurias jam illatas, déque fide in futurum accipiendâ noſtra ad Legatum poſtulata mittere; quæ hîc etiam typis evulgata ſunt; unde in eo ſitum erat, vellétne poſtulatis de ſatisfactione aſſentiri, quam pars utraque & mitigare potuerit & cer-

tam ſtatuere; quod ei in alia chartula ſignificatum eſt. Et ſi hunc in modum de ſatisfactione conveniſſet (poſtulato illo de fide accipienda in aliud tempus dilato) potuerant induciæ fieri, potuerat, omni hoſtilitate quemadmodum petitum erat, abſtineri; cui & Parlamentum ad hunc modum libenter aſſenſit.

Verùm ille, potiùs quàm ut ad ullam hujuſmodi pactionẽ accederet, aut particulatim ad putandas rationes deſcenderet, maluit ſtudium illud ſuum induciarũ paulò antè ardentiſsimum planè remittere, tametſi in manu ejus erat quod petiverat, impetrare; atque ità eam poſtulationem penitùs dimiſit, ſuóque & reliquorum Legatorum nomine petiit, ut quamprimum audirentur commeatûs duntaxat liberi causâ, atque in patriam revertendi, quò ſe mandatis præſentiſsimis aïebant revocari: neque iis negatum quicquam erat, quod vel honori vel uſui in reditu eſse poterat, neque ità quiſquam eos tractabat, quandiu hìc commorati ſunt, quemadmodum hujus Reipub. Miniſtri in fœderatis Provinciis fuerant tractati; atque hoc ſuo diſceſſu, tam illi quàm huic fœderi, quorum de conditionibus vixdum omnibus egerant, fidem impoſuere.

In Parlamento poſtremùm auditi, de iis quæ chartulis eorum prioribus comprehenſa erant, multa recitârunt: ad illud autem quod tum urgebant, de hoſtiliter factis nequaquam exſpectatis, neque unquam indictis, útque naves ſuorum (in Angliæ portus abductæ, ibíque, contra quàm opinati ſunt, retentæ, antequam ulla hoſtilitas indicta eſset, earum præfectis bellum eſse neſcientibus, nè ſibi quidem conſciis ullam ab ſe offen-

ſionum

sionum datam esse cuiquam occasionem) dimitterentur, de his Parlamentum ad narrationem illam ab se vulgatam tantummodo remittere eos debebit, quæ & Legatis D^norum^ Potestatũ Generalium ante adventum D^ni^ *Adriani Pauw* missa fuerat, & ab eodem, primo ejus adventu, inspecta.

Et quanquam priorem illam fœderis violationem, factámque à Trumpio injuriam gravem Parlamentum neque commeruerat, neque exspectaverat, illatâ tamen illâ, exspectari non potuit, quin qui essent injuriam passi, authores persequerentur, quibus satisfactio nondum ulla est oblata; nisi fortè Parlamentum fracto animo ad eorum pedes projicere se deberet, qui interitum sibi hoc facto, & perniciem ultimam moliti sunt, nisi iisdem hujus Gentis jus atque salutem prodere voluisset; quod quidem ab officio suo ac fide alienissimum esse nemo non judicaret.

Ex his rebus perspectis, quas jam in lucem omni cum fide evulgavimus, palàm omnibus erit, quanto cum affectu atque constantiâ Parlamentum amicitiam fœderatarum Belgii Provinciarum quasi ambiverit: quàm diligenter omnes controversias, bellíque cum illa Repub. occasiones vitaverit, quamvis illa omnes hujusmodi vel æquissimas amicitiæ ac societatis arctissimæ conditiones rejecerit.

Tandem verò, posteaquam hæc Respub. armis petita est, naves laceratæ, suorum aliquot interfecti sine ullo offensionis à nobis datæ vel minimo obtentu (quæ facta & quæ indè sequi potuissent, si illis ex sententia processissent, non solùm jus atque decus & commercium, sed salutem etiam & quasi vitam ipsam

hujus Reipub. ſummum in diſcrimen adduxiſſent) Parlamentum ſui officii duxit eſſe, ingratiſſimo ſibi hoc bello ab illis exorto, neceſſitate planè impoſitâ ſeſe defendere: dúmque juſta ſatisfactio atque fides accipienda nullo alio pacto impetrari poterit, eas conari iis rationibus conſequi, quas *DEUS* ſibi in manus dederit.

Atque hìc quidem Parlamentum, ut ſe rectè faciendo, ſuóque munere fideliter adminiſtrando abunde ſolatur, ità ſibi perſuadet, cauſæ ſuæ juſtiſſimæ clarum hoc teſtimonium omnes, quibus veri & æqui ſtudium eſt, eſſe accepturos; cujus exitum non callidis conſiliis, non viribus humanis, ſed benignitati atque auxilio illius Dei juſtiſſimi commendat, qui Anglorum rebus uſque adeò mirandum in modum hactenus ſemper adfuit; quíque ſe verè colentibus, opémque ſuam piâ cum fiduciâ, animóque integro expectantibus nunquam defuit.

*Hen. Scobell, Cleric. Parlamenti.*

---

Reſponſum

# Reſponſum Parlamenti Reipub. Angliæ ad ternas ſchedulas à Dn.is Legatis Extraordinariis Dnorum Poteſtatũ Generalium Fœderatarum Belgii Provinciarnm ad Concilium Statûs redditas, ex occaſione prælii navalis inter utriuſque Reipub. claſſes conſerti.

PArlamentum Reipub. Angliæ ſecum reputans, quàm perpetuâ amicitiæ ſtudiíque ſinceri declaratione, ab ipſo domeſticarum apud ſe turbarum initio, ſuum erga Fœderatas Belgii provincias, vicinas ſuas animum teſtatum reddiderit, nihílque ad ſe quod attinet, prætermiſerit, quod firmæ cum iis concordiæ, liberóque commercio, necnon etiam propiori quàm hactenus, & arctiori conjungendæ neceſſitudini conducere poſſet, non poteſt quin vehementer ſanè miretur, ſuis benè meritis tàm diſſimilia ſibi reddi, præſertim in ipſo propè Angliæ littore, ipſíſque navium noſtrarum ſtationibus, in Claſſem hujus Reipub. hoſtilia nuper fieri; cujus facti narratio clariſſimis probationibus confirmata ſimul huc adjicitur. Parlamentum itaque habitâ de omnibus & ſingulis illis ſcriptis ab Excellentiis veſtris Concilio Statûs exhibitis deliberatione perquàm ſeriâ atque maturâ, reſponſum hoc reddendum cenſet.

Se, quanquam in illis chartulis quod expreſsè agitis, ut inopinatam illam duarum Claſſium inter ſe dimicationem, inſcientibus veſtris primoribus, & planè

contra eorum voluntatem accidiſſe oſtendatis, id æquanimiter & ad normam charitatis interpretari valdè cupiunt, tamen quoties ſuis cum animis cogitant quantopere ab eo quod vos profitemini, & decreta & facta Veſtræ Reipub. veſtríſque navibus præfectorum diſcrepaverint, etiam in ipſa fœderis tractatione à ſemetipſis oblata, & à veſtris Excellentiis illorum nomine apud nos adminiſtrata; cùm item naves centum & quinquaginta bellicas extra ordinem, & ſine ulla, quæ cerni poſſit, cauſâ, niſi quæ jam ſe aperit, inſtrui videant (magnum profectò juſtæ ſuſpicionis argumentum vel ipſarum judicio V^rarum Ex^arum, dum illud excuſare atque diluere contendiſtis) quin & ipſa mandata à prædictis primoribus veſtris ad præfectos veſtros in altum proficiſcentes data cùm intueantur, ſatis ſupérque cauſæ reperire, cur credant D^nos Poteſtates Generales Fœderatarum Belgii Provinciarum in animo habere jus Angliæ per maria notiſſimum vi & armis invadere; Claſſes delere, quæ, ſecundùm *DEUM*, muri ejus ac munimenta præcipua ſunt; eáque ratione Rempub. hanc exterorum injuriis opportunam ſuo arbitratu reddere; quod & hac nuperâ impreſſione facere adorti ſunt. Quocirca Parlamento videtur ſui muneris hoc eſſe, utì dent operam, *DEO* bene juvante, prout occaſio ſe obtulerit, ut illatarum jam ſibi injuriarum & reparationem adipiſcantur, & nequid ſimile in poſterum tentetur, fidem accipiant. Hoc tamen animo atque voto, ut omnes inter utramque Gentem controverſiæ poſſint amicè atque pacatè, ſi quo id pacto fieri poteſt, componi, prout *DEUS*, pro ſua ſumma Providentia, viam ad hanc rem patefecerit,

fecerit, & circumſtantiæ profuerint ad reddendos ejuſmodi conatus & minùs tardos & efficaciores, quàm alios ejuſdemmodi, qui antehac adhibiti ſunt, fuiſſe conſtat.

*Hen. Scobell, Cleric. Parlamenti.*

---

## NARRATIO pugnæ navalis inter Claſsem Anglicanam ſub Prætore *Blaco*, & Claſsem Batavicam, cui præerat Legatus Admirallus *Trump*, ad Dorobernium nuper conſertæ.

DIe Martis, octavo decimo Maii, 1652. manè, cum *Blacus* Prætor ante dies octo cum duodecim aut tredecim navibus Occidentem verſùs uſque ad ſinum Rienſem profectus eſſet, relicto ad Dunas cum octo ſolùm Navibus Bornio Tribuno, conſpecta eſt ponè arenas Goduinianas Claſſis Batavica duarum & quadraginta navium bellicarum, quarum una ſummo vertice mali vexillum gerebat, cæteræ apluſtria tantúm. Cúmque ad Auſtralem arenarum extremitatem perveniſſent, earum duæ ad naves Anglicas, quæ in Dunis erant, proceſſere. Quo viſo, *Bornius* Tribunus navem, cui nomen Cani-Venatico inditum erat, obviam iis miſit; quæ eas & de aliis rebus pro more percontaretur, & cur maximè tam propè ad ſe accederent. Quæ cum reſponderent, habere ſe ad

præfectum Classis in Dunis mandata quædam, admissæ sunt, earúmque duo Capitanei, Tysonus & Aldredus in Navem prædicti *Bornii* Tribuni, salutato priùs ejus vexillo, transcenderunt, eíque ostendunt, sese ab *Van-Trumpio* missos esse, ut certiorem eum facerent, Legatum suum cum Classe Dunkirkensem oram modò legisse, ubi vi tempestatis multarum navium anchoras & funes amiserant, séque flante Aquilone, longiùs, quàm volebant, in Meridiem propelli: id *Van-Trumpium* censuisse significandum, nè quam offensionis causam aut suspicionis præberet. Hæc cùm dixissent, responsúmque iis esset, dictorum suorum fidem in eo positam esse, si ab hoc littore quamprimùm recessissent, ad classem suam reverterunt, quo simul ac venerunt, tota confestim classis Dorobernium versùs cursum direxit, eodémque die, post meridiem, penè haud longiùs à Castello quàm emissa pila tormento perferri possit, anchoras jecit; cúmque è regione illius Castelli, nullâ pro more datâ salute, neque detracto mali vertice vexillo, in procinctu stetisset, Castellum ter in eam displosit. Quod quamvis fieret, Admirallus tamen Batavicus neque vexillum demisit, & eodem loco ad meridiem usque postero die in Anchoris stetit, & Sclopetarios suos complures per horas, sclopis simul omnibus subinde displosis, exercitabat. Die Mercurii, horâ circiter duodecimâ, sublatis anchoris Caletum versùs quatuor Leucas in Euronotum Classis ea abscessit; quam circa idem tempus *Blacus* prætor cum classe Anglicana, dum ab occidente ad Dunas rediret, conspicatus est, eámque est ratus, ex eo quem tenebat cursu, abiisse: Simúlque

*Bornius*

*Borniùs* Tribunus in conſpectu erat, ex Dunis properè adveniens, ut cum *Blaco* ſe conjungeret: Unâ aut alterâ pòſt horâ Claſſis Batavica, mutato curſu, revertit, paſsíſque velis omnibus ad *Blacum* prætorem rectâ contendit. Ante omnes *Van Trumpius* erectum præcelſo malo vexillum ferox præferebat. In quod *Blacus*, ſimulátque intra ictum veniſſet, excuſſam tormento glandem intendit, binas deinde ſingulares. Quo facto, *Van Trumpius* item glande ſingulari Prætoris vexillum trajecit, totóque primus infeſto latere tormenta omnia in eum diſploſit, demptíſque apluſtribus, ſub inſigni Hollandiæ inſigne rubrum extulit: quod univerſæ claſſi datum committendi prælii ſignum erat, atque ità ad certamen deventum eſt, quod inter horam quartam & quintam poſt meridiem eſt cœptum, & ad nonam uſque duravit. In eo certamine Angli duas naves Batavicas cœpere, quarum unam, quæ aquam ſenis pedibus altam in alveum receperat, traducto ad ſe præfecto cæteríſque Claſſiariis, pro derelicto habuere. Alteram, quæ tricena tormenta portabat, abduxere. *Blacus* prætor eodem quo pugna commiſsa eſt loco, vel haud longè, totâ nocte ſtationes habuit: Claſsíſque Batavica circiter quatuor Leucarum ſpatio disjuncta verſùs oram Gallicam poſtero manè viſa eſt.

Hujus narrationis fides ex literis prætoris *Blaci*, *Bornii* Tribuni, & aliorum qui in ipſo aderant negotio, ipsíſque Centurionum & Claſsiariorum Batavicorum, qui in ea pugna capti erant, teſtimoniis; ex mandatis etiam quæ præfecti Navium, aliíque

Classiarii Batavi acceperant, chartulis denique ex aliis hac de re pridem vulgatis constat.

Quod autem *Van Trumpius* in ea quam reddit hujus rei gestæ ratione, causam cur redierit fuisse aït, ut mercatoriis quibusdam navibus à Gaditano freto opulenter onustis præsidio esset, quæ naves cum quibusdam nostris Liburnicis conflixerant; res illa tota in literis à Capitaneo Young conscriptis narratur (quæ & pridem vulgatæ sunt) in quibus & quam occasionem, quod initium, quémque exitum pugna illa habuerit perscribitur. Quinetiam naves illæ, quas vel tuendi vel recuperandi causâ venisse præ se fert, die Sabbathi proximè elapso per eum locum transierant, ubi *Blacus* prætor tùm erat, & Orientis plagam versùs jam erant profectæ.

---

*Sequuntur illa Scripta in unum collata quæ inter Parlamentum Reipub. Angliæ & D^num Adrianum Pauw Legatum Fœderatarum Belgii Provinciarum Extraordinarium, cùm de pace agerent, ultro citróque reddita sunt.*

---

## Oratio D^ni *Adriani Pauw*, cùm in Parlamento audiretur, undecimo Junii, M. DC. LII.

*Illustrissimi Domini!*

TEstimonia publica & signa manifesta sinceræ benevolentiæ, ingenui amoris & veræ amicitiæ quæ ab

ab universo statu & subditis Fœderati Belgii omni tempore Populo Anglicano, & præsertim inclyto Reipub. Angliæ Parlamento eandem prosperè ac feliciter gubernantis exhibita fuere, toti orbi Christiano tam sunt cognita & aperta, utì de illis nemo hæsitare possit: Multò minùs de Ordinum Generalium Belgii Præfectorum optimâ fide ac inveteratæ amicitiæ observatione dubitare debeat. Cùm verò ex humanarum rerum varietate & inconstantia nonnunquam aliquid contingat, quod externam quidẽ faciem obnubilet, & animorum distractionem arguere videatur, veruntamen si maturè iis occurratur, ac in contrarium opposita è medio tollantur, ea ad conservanda & corroboranda magìs quàm ad dissolvenda mutuæ necessitudinis vincula quàm plurimum facere soleant. Hanc ob causam placuit Ordinibus Generalibus Confœderatarum Belgii Provinciarum, Superioribus meis, quantumvis de singulari prudentia & industria Legatorum extraordinariorum, ipsorum statûs nomine, circa maximi ponderis negotia hìc versantium nihil dubitantibus, nihilominus me novâ extraordinariâ Legatione ad Parlamentum Reipub. Angliæ quàm celerrimè ablegare; Utì præmisso imprimis publicæ salutis & felicis regiminis voto, ex propensa officiorum omnium oblatione apertè & candidè notum facerem (sicubi tam recenter ex supremo ipsorum congressu egressus cum certissima scientia testari possum) nihil magìs ipsis cordi esse, aut optatius accidere posse, quàm ut firma & constans amicitia inter utrumque statum non religiosè tantùm colatur, verùm indies augeatur atque omni modo consolidetur; adeóque

nihil eveniat quòd mutuæ ſecuritatis, utilitatis & neceſſitudinis repagula inter populos tam vicinos abrumpere aut ex aliqua occaſione labefactare poſſit. Et propterea magno cum attonitu & ingenti animorum mœrore nuncios ad eos perveniſſe de iis quæ inter claſſes & Thalaſſiarchas utriuſque reipub. præter omnem exſpectationem nuperrimè evenere & ab utraque parte commiſſa fuere. Quia verò caſus tam ſubitus & inopinatus non tantùm novas turbas excitare, verumetiam ſuſpicionibus anſam præbere poſſet, ac ſi illa quæ de mutuo fœdere ac ulteriori veteris amicitiæ corroboratione jam tractantur, non feriò agerentur, atque ideo in poſterum ad ſcopum exoptatum incaſſum laboratum iri, exiſtimârunt ſuperiores mei non ſupervacuum, immo huic tempori & infelici rerum ſucceſſui conveniens atque neceſſarium, utì præter Ordinem conſuetum, atque adeò ex ſuperabundanti per me (cui ratione muneris omnibus conſiliis intereſſe licuit) Parlamento Reipub. Angliæ tam antecedentia, quàm quæ ſubſecuta ſunt, & ad eorum notitiam pervenerunt, palàm & ſincerè exponerentur, & omnia è medio tollerentur, quæ aliquam inter utrumque Statum ſimultatem producere aut negotium tractatûs confœderationis remorari aut impedire poſſent. Itaque vigore credentialium prædictorum Ordinum Generalium & ipſorum nomine huic Parlamento Reipub. Angliæ obteſtor & declaro, nihil unquam apud eos meditatum vel ab iis actum, multò minùs in mandatis datum fuiſſe, quo dignitas hujus Reipub. læderetur, amicitia & concordia cum eadem à longo temporis tractu ſtabilita diminueretur, vel

aliquod

aliquod diſcordiæ ſemen ſub aliquo prætextu injiceretur, immo prædictos Ordines toto ex animo optâſſe & omnibus viribus laborâſſe, utì amicitia & confœderatio in æternum duratura omni meliori modo, & quanto ocyùs perficì & in ſalutem & commodum utriuſque Reipub. ſolenni fœdere ſanciri potuiſſet. Verum quidem eſt claſſem non exiguam in Belgio inſtructam, ſed Ordines Generales aſſiduis ſubditorum ſuorum querimoniis eò adactos fuiſſe tam conſtans & notorium eſt, utì id etiam prædicto Parlamento ſignificandum cenſuerint; quod tamen nullâ aliâ intentione factum, vel denuntiatum fuit, quàm ut Belgii ſubditorum, qui magna per mare damna & ingentem navium jacturam paſſi fuerant, ſaluti & protectioni per legitima & conſueta media proſpiceretur, nemo autem læderetur aut offenderetur, multò minùs utì cum claſſe aut navibus antedicti Parlamenti de controverſiis maritimis diſceptaretur. Quæ omnia cùm ità acta & geſta ſint, & nihilominus ex ſuperveniente inter utramque Claſſem caſu undequaque ingens rumor & non exigua controverſia ſit exorta, ſignificandum imprimis Ordines Generales Parlamento Angliæ cenſuerunt, quæ ad aures ipſorum perlata à Thalaſſiarcha ipſorum Statûs ſcripto conſignata, teſtimoniis Claſſiariorum comprobata, & ex relationibus fide dignorum ipſis notificata ſunt. Videlicet Thalaſſiarcham Trompium neceſſitate magìs, quàm alia de cauſa, claſſes navales hujus Reipub. appropinquâſſe, Præfectum *Bourn* primo humaniter ſalutari curâſſe, ac deinde cum Thalaſſiarcho Blake ſortuitò obviàm factus eſſet, ſcapham expo-

 ſuiſſe,

ſuiſse, ut deputatos ad eundem tranſmitteret, & adventûs ſui rationem redderet, & inſuper vexillum ſuperius auferri mandâſse; ſed cùm præter omnem exſpectationem ſe toto latere tormentorum bellicorum à navi Prætoria infeliciter ſalutari & accipi videret, non offendendo ſed defendendo torménta ſua bellica iterum exploſiſse, atque exinde inter utramque claſſem non ex propoſito, ſed ex accidenti aliquem conflictum exortum, ſed brevi finitum, neque ampliùs continuatum aut proſecutum, verùm Deo propitio breviter extinctum fuiſse. Quæ cùm ab inexſpectata receptione inchoata, nullo autem fervore à noſtris continuata, neque tam ex animorum alienatione vel ob aliquam cauſam præcognitam, ſed magis ex accidenti commiſsa & perpetrata ſint, exponunt Ordines generales, & amicè rogant, ut Parlamentum Reipub. Angliæ credere & aſsentiri velit, nihil deliberato propoſito, vel præcedente mandato, ſed caſu fortuito & fortaſſis ex Rerum humanarum fragilitate & inconſtantia eveniſse, atque adeò ſua conſilia & mandata eò dirigere, ut omnia obſtacula, offenſiones & ulteriores læſiones, quantò citiùs è medio tollantur & inhibeantur, ſicuti Ordines generales ab ipſorum parte prompti & paratiſſimi ſunt convenientia iis confeſtim remedia adhibere: Judicant ſanè Univerſæ rei Chriſtianæ & præſertim religionis reformatæ Statibus quàm maximi intereſse, nè diſsenſiones inter Utramque Rempub. augeantur, atque inter vicinos amicos & ejuſdem fidei conſortes populos aliquid ſiniſtri oriatur, quod pacem publicam turbare, commercia utrinque utilia & neceſsaria intervertere & inimicis

tàm

tam apertis quàm occultis cauſam præbere poſſit, utrique inſidias ſtruere, vel Reſpub. jamjam communi fœdere jungendas in diverſas partes diſtrahere, atque eâ ratione, quod Deus avertat, calamitatum & bellorum ſedes à ſe avertendo in earum perniciem derivare; Quod nè eveniat, & nè malum ulteriùs ſurgat, in principio proponere, omnémque induſtriam adhibere juſſus ſum, ut de præteritis per media convenientia quàm primùm conveniri, & in futurum præcaveri poſſit, nè ſimilia ſiniſtra aut funeſta ab utriuſque Reipub. Claſſiariis ampliùs perpetrari queant, in quibus dignitatem & honorem Parlamentum Reipub. Angliæ conſervatam cupiunt. Cùm ergò Ordines Generales hiſce prædicto Parlamento publicè teſtatum faciant; ipſos unicè deſiderare, ut omnia amoris & benevolentiæ officia continuentur, adverſa impediantur & ad optatum mutuæ conſœderationis ſcopum & concluſionem ab omni parte conſilia dirigantur, enixè rogo, ut placeat prædicto Parlamento me per deputatos ſuos vel per Concilium Statûs pleniùs ſine temporis intervallo audire & intelligere, & cum juſta & amicabili antè-actorum tranſactione ad pertractandum & conſummandum negotium principale, ad quod Legati Ordinum Extraordinarii inſtructi & parati ſunt, ſine intermiſſione progredi. Interea gratias ago pro ſingulari favore D^no^ *Guilielmo Neoporto* ad reditum in Belgium per navim bellicam hujus Parlamenti ante paucos dies exhibito: & cùm prædictus Dominus membrum ſit Statûs Hollandiæ Weſtfriſiæque, in mandatis habeo, eundem requirere, ut mecum hìc remanere, communicatis conſiliis agere, ac reverti

velit, quod prædicto Parlamento non ingratum fore arbitror, cujus Parlamenti benevolentiæ me, meaque officia quàm reverenter commendo.

Pronuntiatum & exhibitum in Parlamento Reipub. Angliæ à Legato Ordinum Generalium Fœderati Belgii extra Ordinē miſſo. die 21 *Junii*. MDCLII.

---

# Lettres de Creance dud^t S^r Pauw.

*Les Eſtats Generaux de Provinces Unies du Pais Bas.*

COmme ainſi ſoit que nous ayons trouvé bon voire grandement neceſſaire en la conjuncture preſente des affaires de l'Europe d'envoyer vers le Parlement de la Republique d'Angleterre le Sieur Adriaen Pauw, Chevallier, Seign^r de Heemſtede, Hogerſmilde, Rietwyck & Nieuwerkerk, Conſeillier, Penſionaire d'Hollande & Weſtfriſe, & de la part de ladite Province, Deputé ordinaire en noſtre aſſemblée, en qualité, de noſtre Ambaſſadeur extraordinaire, ayants faict choiz de luy, comme d'une perſonne que nous tenons pour ſes rares qualitez & longue eſperience en eſtime & confiance, eſtant bien inſtruict de nos bonnes & ſinceres intentions, qui n'ont autre but que d'entretenir, augmenter, confirmer, & corroborer d'avantage la bonne amitié, correſpondence & alliance entre le deux Eſtats & nations

tions, fondées ſur des intereſts communs de religion, d'Eſtat & de commerce, ayans telle confiance en ſa ſuffiſance, prudence, fidelite & diligence que Nous nous remettons a luy de les expoſer de vive voix audit Parlement de la Republique d'Angleterre, & particulierement le zele que nous continuons a tout ce que peut eſtre du bien commun & repos des deux Nations, a raiſon de quoy nous prions bien inſtamment & de toute noſtre affection par ces preſentes ledit Parlement de la Republique d'Angleterre qu'il luy plaiſe de donner favorable Audience audit noſtre Ambaſſadeur Extraordinaire, & luy deferer entiere creance, comme a nous meſmes en tout ce qu'il dira & propoſera de noſtre part en la conjuncture preſente des Affaires des deux Republiques. Faict à la Haie en Hollande le 14.me de Juin, 1652.

*A. Bouchorſt.*

*Par ordonnement deſdits Seigneurs Eſtats Generaux.*

Au Parlement de la Republique d'Angleterre

N. Ruyſe.

---

*Dies Veneris* 11.mo *Junii* 1652.

DOminus Prolocutor referendi more Parlamento breviter exponit quâ ſit uſus oratione Dominus Adrianus Paius, Legatus Ordinum Generalium

Fœderatarum Belgii Provinciarum Extraordinarius, cùm hodierno die in Parlamento audiretur ; de chartula à prædicto Domino Legato Extraordinario unà cum verſione Anglica ſibi tradita retulit, quæ etiam chartula hodie recitata eſt.

Ex quo, conſultum Parlamenti eſt factum, haſce chartulas ad Concilium Statûs remitti, & quæ ampliùs in mandatis habeat prædictus Dominus Legatus extraordinarius, ea utì prædictum Concilium audiat, cúmque eo agat, quæque priùs Parlamentum reſponſa dederit, quæque declaraverit, ab eorum ſententia utì nè diſcedat, déque his primo quoque tempore ad Parlamentum referat.

*Hen. Scobell Cleric. Parlamenti.*

---

# Harangue du Sr Pauw à ſon Audience dans le Conſeil d'Eſtat.

## *Tres Illuſtres Senateurs,*

AYant pleu à Meſſeigneurs les Eſtats Generaux des Provinces Unies du Pais-Bas, outre leur Ambaſſade extraordinaire, de m'envoier en la meſme qualité au Parlement de la Republique d'Angleterre, & ayant eu l'honneur d'expliquer hier dans leur pleine Aſſemblée le vray ſujet de mon envoy, & les ſinceres intentions de Mes Superieurs : J'ay creu eſtre de mon devoir de me trouver auſſy dans ce Tres-Illuſtre Senat,

Senat, y preſentant mes Lettres de Creance, & luy ſouhaittant toute felicité & proſperité dans le regime & maniement de ces grandes affaires, qui luy ſont commiſes de par cete grande Republique. Et comme j'ay declaré aud^t Parlement, auſſy je declare derechef avec verité & certaine cognoiſſance, que Meſſeigneurs les Eſtat Generaux ont eu de tout temps & ont encore, plus que jamais, tres-grand deſir, d'entretenir, augmenter, & conſerver inviolablement la bonne amitié, eſtroite Alliance & parfaite correſpondence qui a eſté de long temps entre les deux Nations & Eſtats, & dont on a rendu des preuves aſſez notables & evidentes par cy-devant.

Il eſt auſſy tres-conſtant que mes Superieurs n'ont rien plus à coeur que de voir l'acheminement & la concluſion du Traité de Confederation entre les deux Republiques, afin que par icelle ſoit eſtablie une union plus eſtroite & une concorde fraternelle, pour renverſer & deſtruire toutes les machinations & diviſions qui pourroyent troubler & grandement nuire aux uns & aux autres, & les rendre moins conſiderables dans la Chreſtienté.

C'eſt icy Meſſieurs le vray but de Ennemis de la Religion Reformée & orthodoxe, ſe perſuadans fermement que par cete diſunion & diviſion, ils ne pourroient pas ſeulement affoiblir les deux Eſtats, mais les reduire auſſy aux dernieres extremités. Or le bon Dieu ayant doüé les deux Peuples de ce don precieux de la foy Orthodoxe, & pourveu merveileuſement outre ces benedictions ſpirituelles auſſy de temporelles par l'utilité de la navigation & commerſe par tou-

tes

tes les eſtendues du monde, & Meſſeigneurs les Eſtats Generaux jugeant qu'il faut conſerver le premier, & veiller pour l'autre, maintenir l'Egiſe & aſſeurer l'Eſtat, ils ont creu de ne pouvoir mieux obvier à tous inconveniens, que de joindre les ames & les biens des deux Republiques, & ainſy avec la grace de Dieu les rendre capables d'eluder toutes machinations contraires.

Pour cete raiſon l'inopinée nouvelle de la rencontre des deux flottes maritimes & des offences données de part & d'autre n'a pas apporté un mediocre trouble dans les Eſtats Generaux, jugeant pour ce ſujet tres-neceſſaire que quelqu'un fuſt depeſché extraordinairement & promptement pour informer la Republique d'Angleterre & le Tres-Illuſtre Senat, en choiſiſſant ma perſonne pour rendre ces devoirs, comme ayant entrée tant dans l'Aſſemblée des Eſtats Generaux, que des Eſtats d'Hollande & Weſt-friſe, & ayant part dans tous leur plus importants & plus intimes Conſeils & deliberations, pour teſmoigner icy avec grandiſſime connoiſſance de cauſe, & non moins de verité & de fidelité, que nulle deliberation a eſté formée, nulle reſolution priſe, nulle, commiſſion donnée directement, ou indirectement pour chocquer en aucune façon la Republique d'Angleterre, de l'offencer & moins d'attaquer la flote, ou navires d'icelle, mais qu'il a eſté commandé au contraire de les traiter par tout en meilleurs amis, & leur teſmoigner toute ſorte de bienveillance.

Et comme dans ladite malheureuſe rencontre les affaires d'une & d'autre part ayent eſté autrement, & tres-

tres-mal gouvernées, dont j'ay faict hier un ample recit, & que je ne veux presentement repeter, ni reveiller ce qui doit estre ensevely & oublié entierement, neantmoins ayant aperceu dans la derniere response donnée à Mess^rs nos Ambassadeurs Extraordinaires, qu'on a proposé une satisfaction pour le passé & asseurance pour l'advenir Mesſeigneurs, les Estats jugent aussy estre necessaire qu'on oste la pierre d'achoppement pour les inconveniens survenus, & establisse les seuretés necessaires & qu'on procede sans intermission à la continuation & perfection du Traité de Confederation desja bien advancé & qu'on advise aux moyens les plus convenables qui pourront effacer l'ombrage mesme de mesfiance, & reigler les ordres que les flotes seront obligées de suivre d'oresenavant.

Sur quoy ayant des Instructions requise de Mes Superieurs je fay instance que ce Tres-Illustre Senat ait agreable que quelques Senateurs du milieu d'iceluy soyent deputés, avec lesquels je puisse commencer, continuer & achever le plustost ce que pourra servir pour le contentement des deux Estats & appaisement des differents.

A quoy je doibs adjouster que Mes Superieurs n'ont jamais pretendu, ny ne pretendront de disputer l'honneur & la dignité de cete Republique, l'estimant la premiere & la plus considerable dans l'Europe, & souhaittant que par la jonction de deux puissances si redoutables, on puisse asseurer l'un & l'autre Estat, les garentir des embusches de leurs

 Ennemis,

Ennemis, & eſtablir par une parfaite intelligence & confiance le repos de l'un & l'autre.

Cependant je vous prie, Meſſieurs, de vouloir par voſtre ſage conduitte donner ordre au pluſtoſt que pour le ſuſdit accident les choſes n'aillent plus avant par nouvelles offences, courſes, ou priſes, Mais que toutes voyes de fait ſoyent defendues & empeſchées, pour ne rendre les maux incurables & nous expoſer à l'appetit de nos Ennemis, ne doutant pas que par ce moyen nous ne trouvions les remedes convenables pour accommoder ce different amiablement & heureuſement, à la confuſion de ceux qui deſirent & eſperent autrement.

I'auray des obligations infinies à ce Tres-Illuſtre Senat s'il me daigne donner le pluſtoſt reſponſe cy-deſſus, & que je puiſſe ſans intermiſſion travailler à un oeuvre ſi digne, utile & ſalutaire, me recommendant cependant avec beaucoup de reſpect à l'honneur de leurs bonnes graces.

*Prononcé au Conſeil d'Eſtat de la Republique d'Angleterre le* $\frac{22}{12}$ *de Juin* 1652. *& en ſuite exhibé par moy, ſoubſigné Ambaſſadeur Extraordinaire des Eſtats Generaux des Provinces Unies du Pays Bas.*

Adriaen Pauw.

Die

## Die Lunæ 14° *Junii*, 1652.

### *In Concilio Statûs in Alba Aula.*

EX Parlamenti conſulto 14° Junii mandavit Concilium Dⁿᵒ Commiſſario *Whitlock*, Dⁿᵒ Commiſſario *Liſle*, Dⁿᵒ Vicecomiti *Liſle*, Dⁿᵒ *Oliverio St. John*, ſummo Juſticiario, Dⁿᵒ *Bond*, Dⁿᵒ *Scott*, Tribuno *Purefoy*, Dⁿᵒ *Henrico Vane*, Equiti aurato, Dⁿᵒ *Guilielmo Maſham*, Equiti aurato, Dⁿᵒ *Henrico Martin*, Dⁿᵒ *Herberto Morley* Tribunis, aut eorum tribus quibuſvis aut pluribus, utì Commiſſarii ſint, qui Dⁿᵘᵐ *Adrianum Paium* ab Ordinibus Fœderatarum Belgii Provinciarum Generalibus ad Parlamentum Reipub. Angliæ conveniant; & quæ ejus Exᵗⁱᵃ ſcripto exhibuerit, ea utì accipiant, déque iis & colloquium cum eo habeant & agant, quódque egerint ad Concilium deferant; útque hora quarta hujus diei poſt meridiem ſtatutum tempus Dⁿᵘᵐ Legatum prædictum conveniendi ſit, ſolito conveniendi loco; ídque ut idoneo quoque tempore toties fiat, quoties dabitur occaſio; Utque Dⁿᵘˢ *Oliverius Fleming* Eques auratus, Ceremoniarum magiſter, id ejus Exᵗⁱᵃ ſignificet, eúmque ad ſtatutum locum deducat.

JO. THURLOE,
*Cleric. Concil.*

Die Lunæ, 14e *Junii*, 1652.

*In Concilio Statûs in Alba Aula.*

PLacuit, Commissarios, quibus mandatum est, ut agant cum Dno *Adriano Pauw*, Legato Fœderatarum Belgii Provinciarum Extraordinario, petere, uti inspiciant diplomata ab ejus primoribus ei data, quibus agendi & transigendi potestas atque authoritas in eum collata sit iis de rebus proponendis quas in mandatis habet; Eique significare, gratissimum hoc fore Parlamento, si ab ejus Excellentia in habendo hoc colloquio, quod ipse expetivit, celeritas omnis adhibeatur; Ejúsque Excellentiæ demonstrare, nihil quidem à parte Concilii Statûs esse defuturum, quod ullo modo conducere possit huic negotio feliciter conficiendo.

Jo. Thurloe,
*Cleric. Concilii.*

*Sommaire de ce que le Sr Adriaen Pauw, Ambassadeur Extraordinaire des Estats Generaux des Provinces Unies du Pais-Bas a proposé aux Deputés du Tres-Illustre Conseil d'Estat.*

LEdit Ambassadeur ayant, par cy-devant, & abondamment remonstré que les Estats Generaux n'

ont

ont deliberé aucunement, (ainsy qu'il se trouvera & paroistra tousjours,) ni publiquement ni secretement, ni en general, ni en particulier, beaucoup moins donné chargé, ordre ou Commission de faire aucun acte offensif contre le Parlement de la Republique d'Angleterre, leur Flottes, navires, officiers & subjects, mais au contraire de les renconter avec les civilités accoustumées & tesmoignages ordinaires d'affection; tellement qu'on ne doit nullement douter qu'ils n'ayent des sinceres intentions à conserver & augmenter l'anciene & mutuele amitié.

Pour cette raison, on ne peut nullement imputer aux Estats Generaux ce que c'est dernierement passé entre les deux Flottes, ni pour cela se mescontenter, ou offencer & attenter contre leurs subjects, comme estant directement contre l'ancienne amitié & correspondence qui a esté entre les deux Nations. Et ladite rencontre estant survenue par accident & sans dessein, ledit Ambassadeur a proposé, sçavoir si ne seroit plus à propos qu'on passa par dessus du passé, & qu'il fut pris de l'un & l'autre costé, comme s'il n'y avoit jamais rien eu, & ainsy tout fut remis, comme il a esté par cy-devant, & que la suitte fut plustost redressée a fin qu'il n'en puisse rester marque exterieure, ou interieure.

Neantmoins si le bon plaisir de ce Tres Illustre Senat est autre, combien que ledit Ambassadeur ait rondement, & sincerement deduit tout ce qui est venu à la connoissance de ses Superieurs touchant le passé & luy soient subministrés comme aussy aux autres Ambassadeurs Extraordinaires (outre les susdits in-

